

05

A

601









De

# VOCATIONE AD FIDEM

quam

in nomine S.S. Trinitatis

PRÆSIDE

*Viro Plurimum Reverendo, Amplissimo Atque Excellentissimo,*

## DN. ABRAHAM CALOVIO,

S.S. Theol. Doctore Ejusdemque Professore Publ. longe celeberrimo, Ecclesiæ Wittebergensis Pastore, Consistorii Ecclesiastici Assessore, ut & Circuli Electoralis Superiorintendente Generali, meritissimo, gravissimo, vigilantissimo,

*Domino, Præceptore ac Patrono submisse semper colendo  
& observando,*

placidæ ventilandam proponit

## M. JOHANNES SIMON,

Dresdensis,

*ad d. 8. Januarii. A. O. R. M. DC. LV.*



Excudebat Johann. Haken

*Witteberger*

RESPONDENS



V I R I S

*Generosa Nobilitate, Magnificentia, Perquam Reverenda Dignitate, Auctoritate, Sapientia ac Prudentia Splendore, Rerumque usu  
& Consiliorum dexteritate, Longe Praclarissimis:*  
Supremi Synedrii Ecclesiastici Electoralis, quod Dresdæ est, Præsidi & Consiliariis eminentissimis

**DN. FRIDERICO DE Metzsch**  
Toparchæ in Reichenbach / Friesen, S. Coesareæ Majestatis Consiliario, Eiusdemque Imper. Rom. Archithesaurario & Aulæ Electoralis Saxon. Consiliario ac Præsidi, &c.

**DN. JACOBO WELLERO**,  
Hereditario in Klein Karsdorff S.S. Theol. Doctori Celeberrimo, Sereniss. Elect. Saxon. à Confessionibus & consiliis sacris, nec non Concionibus Aulicis primariis, &c.

**DN. ÆGIDIO STRAUCHIO**  
S.S. Theol. Doctori Famigeratissimo, Ecclesiæ Dresdensis ad D. Crucis Pastori Longe meritissimo, & Diœcesis ejusdem Superattendenti vigilantissimo, &c.

**DN. FRIDERICO TUNZELIO**  
Jcto Amplissimo, Sereniss. Electori Saxon. ab appellationum consiliis, &c.

**DN. JOHANNI LUDOVICO COPPELIO**, Jcto itidem Amplissimo, & Consiliario Elect. Saxonico, &c.

*Dominis, Mæcenatibus, Patronis ac Promotoribus æviternum observandis ac devote venerandis,*

*Pro largiori ad studia continuanda beneficio in immerentem clementer ac benevolentissime erogato hocce, quicquid est, gratitudinis perpetua symbolum,*

D. D. C.

RESPONDENS



05 A 601





CONTINUATIO CAPITIS  
XVII.

DE VOCATIONE AD  
FIDEM,

DISPUTATIO XIX.

PRÆSIDE

ABRAHAM CALOVIO,

S.S. Theol. D. P. P. & Super. Gener.

*Respondente*

M. JOHANNES SIMONE, Dresdensi.

*habebitur horis locoque solitis*

ad d. Jan. Anno 1655.

§. 1.

**D**E modo conversionis, quum ea illuminationem mentis & conversionem voluntatis complectatur, initio disputatur cum Reformatis, *utrum Spiritus S. in conversione immediatè agat sive in intellectum, sive in voluntatem, an verò mediatè, ita ut nullum conceptum menti, nullam inclinationem voluntati imprimat, quam non ipsum verbum efficaciam sibi intrinsecam, ac propriam simul, eademque actione imprimat?* in qua controversiam sepe dextrè expedire nequeunt Arminius, & Corvinus, dum ille internam S.S. suasionem efficacem ab externam prædicationem separat, quoad reprobos, Contr. Perkins p. 57. *Reprobationis decreto non negatur propriè gratia sufficiens, quia multis reprobis illa contigit, nempe iis, qui externam prædicationem Evangelii ad fidem & penitentiam vocantur, sed gratia efficax;* [si tamen hæc ibi non nar' ἀνθρώπων solum assumit Arminius] *hic verò contra Tilen: p. 433. præ-*

*Utrū conversio immediata sit?*



*dicationem verbi citrà Spiritus Sancti operationem inutilem esse, neq; quicquam efficere posse, adeoq; assistentiam S.S. verbo Dei necessariam esse contendit, atque ita Spiritus S. operationem dum Verbum Dei prædicatur, alicubi ab ipso Dei verbo separari fingit. In Apologiâ cap. XVII. fol. 186. hæc, quæ superiori disputatione etiam produximus, leguntur. Nulla ministerialis actio, concurrere potest eum peculiari actione divina, sicut per eam fides aliquomodo efficiatur: Quia tota actio ministerialis, quæ per homines & verbum fit moralis actio est. At peculiaris illa Dei actio qua fidem efficit in homine, est physica vel hyperphysica: Actio autem moralis ut instrumentum fieri dicatur actionis physicae absurdum est. Quibus verbis videntur Remonstrantes, Verbo tantum moralem actionem relinquere, Spiritui S. autem Physicam, vel hyperphysicam, eamque immediatam tribuere. Quia actio moralis actionis Physicae vel hyperphysicae instrumentum fieri nequit. Si modò hæc itidem non ex mente potius adversariorum Calvinistarum quam propriâ ita disputantur. Quâ de re liberam ipsis relinquimus declarationem. Obscura namq; non rarò, & involuta est eorum disputatio, ut ægrè quandoq; deprehendas, quænam κατ' ἀνθρώπων solum urgeantur, quæ v. ex hypothesi propriâ. Egerant utiq; antea de consuetariis sententiæ Censoris Leydenis: fol. 186. Et sanè, si Censor consequenter loqui velit, necesse est ut fateatur, totum verbum Dei non servire pro instrumento conversionis, sed tantum pro objecto & doctrina mera, circa quam versantur & respiciuntur, quia fides & respiciuntur à Deo speciali actione immediatè efficiuntur in voluntate, proinde præcepta, qua talia, promissa, comminationes, hortationes, querelas, obtestationes, quibus verbum Dei scatur, non esse nisi inania signa & operosam simul, ac ludicram quandam histrioniam. Locum etiam I. Cor. III. 6. Classicum vindicarunt: Locus, qui ex I. Cor. III. 6. citatur; Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus dedit incrementum & c. ad rem non facit: Datio enim incrementi, non dicit necessario actionem aliquam Dei specialem & distinctam à plantatione & rigatione, cuius vis fiat, ut plantatio & rigatio non possint non esse fructuosa; sed*



tantam plantationis & rigationis vim divinam esse significare potest, quasi legatur, soli Deo acceptum ferendum esse, quando plantatio & rigatio fructuose sunt, quia tota vis & efficacia, quæ in plantatione & rigatione est, à solo Deo profecta est, prout clarissimè id explicatum legimus 2. Cor. 3. 4. 5. 6. In naturalibus res patet; Deus vis, quæ plantatur & rigantur ab hominibus, incrementum dare dicitur in communi sermone, non quia peculiari actione divina fit, ut plantata & rigata crescant, sed quia Deus vim istam, quam terra indidit, in qua plantatio, & aqua, per quam rigatio fit, conservat, aut vigorem & vim suam habere sinit; quod nisi faceret, plantatio & rigatio tota sine fructu esset, & plantata, ac rigata incrementum nullum consequerentur. Cæterum quia verbo Dei nil nisi præcepta ac promissiones relinquunt Arminiani, nec aliam vim, quam objectivè significandi, ac moraliter movèdi illis tribuunt, prouti etiam Photiniani verbum aures tantum ferire, neq; ultra aures extendi posse, statunt, dubitari potest, non rectè de conversionis modo, & gratia, num mediatè omnia Spiritus Sanctus per verbum, an verò quicquam immediatè in eadem operetur, sentiat.

§. 2. In declaratione certè sententia suæ &c. art. III. c. IV. pag. 17. tutius quidem semper esse putant, actionem Spiritus, quæ in voluntatem agit, sibi subordinatam habere actionem Spiritus faciamus collateralem actioni verbi in voluntatem i & juxta verbum operari dicamus, non per verbum, ne Enthusiastis aliquid largiamur: eam tamen ibidem quoque tradunt, quæ Enthusiastis non obscure favent; Verbum, inquit, suadet, sed Spiritus verbo utens persuadet, licet, in Scripturis verbo quoq; non rarò ἀποτέλεσμα conversionis attribuat. Si verbo id tribuitur, cur ergò verbum suadere tantum, non autem persuadere asseritur! cur Spiritui hoc vindicatur, quod persuadeat, verbo saltè quod suadeat! His jam accedant, quæ ibi subjungunt: Addimus & hoc ad exaggerandam omnimodo gratiam, etiam supernaturalem potentiam voluntati conferri, & hac ratione Deum immediatè in voluntatem non necessitet antecedentè, & libertatem, potentiamvè non vo-



**Enthusias-  
mi Remon-  
strant:**

*lendi tollat. Annon conceduntur, Enthusiasticis sua principia, & arcani motus, tractiones impulsus, dum in Voluntatem IMMEDIATE Deus agere dicitur! Quomodo ergò totum ἀποτέλεσμα conversionis Verbo competit, si voluntatis inclinatio immediatè fiat à DEO? Et defens. sentent. Remonst. III. & IV. artic. p. 61. ita concludunt Remonstrantes: Si verbum per modum instrumenti concurrat, per sensus suos, quos in se habet verbum concurreret; At sensus illi verbo comprehensi non agunt, nisi objectivè & moralitèr, quia aliud nihil continent, quàm hortationes, promissiones, comminationes, vasionès &c. Item pag. 62. Quo ipso non excludimus varias occultas Inspirationes, impressiones, commotiones sensuum verbi, quæ tum in intellectu, tum in voluntate hominis à DEO IMMEDIATE aliquando pro liberrimâ illius voluntate fieri possint, sed tantum omnes tales esse statuimus, quæ ipsum consensum alitèr quàm morali ratione non eliciant, & producant. Quid istæ immediatæ inspirationes aliud sunt quàm Enthusiasticæ!*

**Remonstr. Pelagianizāt. de tractu DEI.** §. 3. Adde quod quandoq; Verbo Dei nihil amplius tribuere videantur, quàm Pelagius: In collatione Hagiensi pag. 306. ubi causam exponunt cur non renati magis verbo prædicato afficiantur, quàm Lazarus defunctus verbis illis Christi; Lazare exi-  
*foeas: ita habent: In causâ esse, quod verba Christi ad Lazarum nudum fuerint præceptum, quod homo mortuus non potuerit intelligere, irregentis verò præter præceptum convertendi, proponi multas ac varias vasiones, promissiones, minas, præmonitiones, ut Eph. 5. 14. Ap. 3. 1. graves, & ferias exhortationes, blandas invitationes, horribiles minas, contestationes, querimonias &c. Ideò etiam tractum Job. VI. 44. exponunt pag. 312. de vasionem morali, quæ fit per promissiones præmiorum, & minas suppliciorum. Quid v. hoc à Pelagij differt sententiâ? Quam ita inculcavit Faustus Rbergiensis Pelagii discipulus, in Epistolâ Maxentij ad Hormisdam in Historiâ Pelagianâ Vossii l. IV. part. 1. thes. 1. p. 403. Quid est attrahere, nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare me-*  
*tuen*



evenda iudiciū cōminari, premiū polliceri? De Pelagio ipso S. Aug.  
 l. i. de gratiā Christ. contr. Pelag. & Cœlest. c. III. *Gratiam DEI,*  
*& adiutorium, quo adjuvāmur ad non peccandum, aut in naturā,*  
*& libero ponit arbitrio, aut in lege, atq; doctrinā, ut videlicet cum*  
*adjuvat Deus hominem, ut declinet à malo, & faciat bonum reve-*  
*lando, & ostendendo, quid fieri debeat, adjuvare credatur. Et he-*  
*res LXXXIIX. Illam gratiam Dei, sine quā nihil boni possumus*  
*facere, non esse dicunt; nisi in libero arbitrio, quod nullis nostris*  
*precedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc T A N-*  
*TUM ipso adjuvante, ut discamus, quæ facere, & sperare debeam9.*  
 Quem errorem gravissimum, passim profligat Augustinus, ceu  
 gratiæ diviniæ contrarium unicum adducemus locum è l. i. de  
 grat. Christ. c. X. *Opposuit, inquit, sibi, (Pelagius) ex Apostolo*  
*quæstionem, atq; ait. Et quomodo inquit, stabit illud Apostoli, De-*  
*us est enim qui operatur in nobis & velle & perficere? Deinde ut*  
*hanc appositionem veluti solveret, quam videbat dogmati suo vehe-*  
*menter esse contrariam, secutus adiunxit, Operatur, in nobis velle*  
*quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupidita-*  
*tibus deditos, mutorum more animalium, tantum modo præsentia*  
*diligentes futuræ gloriæ magnitudine & premiorum pollicitatione*  
*succedit dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem sit-*  
*scitat voluntatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, sva-*  
*det omne quod bonum est. Quid manifestius, nihil aliud eum di-*  
*cere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quā*  
*legem atq; doctrinam? In lege namq; & doctrina sanctarum Scri-*  
*pturarum futuræ gloriæ atq; premiorum promittitur magnitudo.*  
*Ad doctrinam pertinet etiā, quod sapientiæ revelatur, ad doctrinā*  
*pertinet, cum svadetur omne quod bonum est. Etsi inter docere,*  
*& svadere, vel potius exhortari, distare aliquid videtur, etiam*  
*hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuscunq; ser-*  
*monibus vel literis continetur. Nam & Sanctæ Scripturæ & do-*  
*cent & exhortantur, & potest esse in docendo & exhortando etiam*



hominis operatio. Sed nos eam gratiam nolumus. Istam aliquando  
 fateatur, qua futurae gloriae magnitudo non solum promittitur, verum  
 etiam creditur & speratur, nec solum revelat sapientia, verum etiam  
 & animatur, nec solum suadetur solum omne quod bonum est, verum &  
 persuadetur solum omne quod bonum est, verum & persuadetur. Nō  
 enim omnium est fides, qui audiunt per Scripturas dominam regnū  
 caelorum pollicentem: aut omnibus persuadetur quibuscunq; suade-  
 tur, ut veniant ad eum, qui dicit, Venite ad me omnes, qui labora-  
 tis. Quorum autem sit fides, & quibus persuadetur ut ad eum ve-  
 niant, satis ipse demonstravit, ubi ait, Nemo venit ad me, nisi pa-  
 ter qui misit me, traxerit eum. Et Paulo post cum de non credē-  
 tibus, loqueretur, dixi, inquit, vobis quia nemo potest venire ad me,  
 nisi fuerit ei datum à patre meo. Hanc debet Pelagius gratiam cō-  
 fiteri si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus. Cae-  
 tera ibi legi poterunt; ut & in aliis contra Pelagianam hære-  
 sin operibus. Passim enim obvia sunt. Nimis certè manifestū  
 est è Scripturis, requiri præter svasiones, adhortationes, promissio-  
 nes vim & efficaciam divinam ad conversionem; quæ verò non  
 est extrà Verbum Dei quærenda, quum ipsum verbum sit poten-  
 tia Dei ad salutem Rom. I. 16. Spiritus, & vita, & Verbum vite, Job. VI  
 65. 68. nec nisi per verbum Spiritus S. nos regeneret, ac conver-  
 tat. I. Petr. I. 23. Jac. I. 18. &c. Ipse Christus, etsi eminentissimo  
 modo doceret, hortaretur, comminationibus, & pollicitatio-  
 nibus excitaret, miraculis etiam maximis doctrinam suam cor-  
 roboraret, requisivit suprâ hæc omnia tractum Dei Patris; Job.  
 VI. 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit  
 eum; Non ergò tractus ille in svasionibus, minis promissisq;  
 consistebat, sed efficax fuit Dei operatio in cordibus auditorū:  
 ut explicat Augustinus l. i. contra duas Epistol. Pelag. c. XIX. Tra-  
 bitur miris modis, ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum  
 cordibus operari, non ut homines (quod fieri non potest) nolentes  
 credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant; & Formula Concor-  
 dia declarat: solid. art. c. II. p. 673. Etsi dominus hominem nō

cor



cogit, ut convertatur, at tamen trahit Deus hominem, quem convertere decrevit: Sic a. eum trahit, ut ex intellectu oecato illuminatus fiat intellectus, & ex rebellivoluntate fiat promta, & obediens voluntas. Et hoc ipsum Scriptura vocat NOVUM COR CREARE. Id v. per Verbum fieri paulò ante docuerat pag. 671. Per hoc medium seu instrumentum, predicationem nimirum, & auditionem verbi, Deus operatur: emollit corda nostra, trahitq; hominem: ut ex concionibus legis & peccata sua, & iram Dei agnoscat, & veros errores atq; contritionem in corde suo sentiat. Et per annunciationem ac meditationem Evangelii de gratuita & clementissimapeccatorum remissione in Christo, scintillula fidei in corde ipsius accenditur, qua remissionem peccatorum propter Christum complectitur & sese promissione Evangelii consolatur: & hoc modo Spiritus Sanctus qui hac omnia operatur, in cor mittitur. Et si autem utrumq; tum concionatoris plantare & rigare, tum auditoris currere & velle, frustra omnino essent, neq; conversio sequeretur; nisi Spiritus Sancti virtus & operatio accederet: qui per verbum predicatum & auditum, corda illuminat & convertit, ut homines verbo credere & assentiri possint: tamen neq; concionator neque auditor de hac Spiritus Sancti gratia & operatione dubitare debent. Quin potius uterq; certò sciat, si verbum Dei iuxta mandatum & voluntatem, Deo purè & sincerè predicatum fuerit, & homines diligenter & seriò auscultaverint, illudq; meditati fuerint certissimè Dominum gratia sua presentem adesse, & largiri ea, qua homo alias suis propriis viribus, neq; accipere neq; dare potest.

S. 4. De Illuminatione, disquiritur, utrum fieri possit, ut cū Spiritus Sanctus mentem illuminare vult, intellectus non assentiat? Negativam amplectuntur Remonstrantes in declaratione circ. artic. III. & IV. in Actis Synodalibus p. 16. Mentem DEUS verbo & Spiritus sui illuminatione de voluntate sua salutifera certiore reddi, eamq; ut assentiat Verbi veritati facit. Et quanquam homo possit vel per negligentiam, vel per malitiam voluntatis, hanc

De illuminatione.

Sententia Remonstr.

ilo



illuminationē & revelationē, tunc cū ea primitus vel externē vel etiā internē menti sit, respuere, contemnere, nec eā altē in animū admittēre, unde ignorantia affectata oritur, fieri tamen non potest, ut, si quando Veritas clarē & perspicuē à Spiritu S. menti presentetur. & discussis dubitationum causis, mentem Spiritu Sancto menti illuminare vult intellectus non assentiatur, aut iudicium suspendat, sed ab objecto ita proposito, & à Spiritu insinuato, determinatur ad assentiendum, nec potest intellectus ex se illi illuminationi resistere, cum ab objecto suo determinetur. Unde fit ut inviti saepe homines veritati assensum praebeant, quam vellent se non scire, aut cuius assensum deponere & exuere mallerent, si possent? Unde intellectum **IRRESISTIBILITER** illuminari, largiuntur Collatores Hagien- ses, pag 290. Quanquam verò verbum Dei omninò perspicuum, atq; luculentum sit, omniumque mentibus illustrandis, vi efficaciae insitae, sufficiat, ac destinatum sit, non tamen ista illuminatio sit irresistibili modo, sive nudam mentis cognitionem, sive ad sensum intellectus nostri respiciamus; uti quidem contendit Job. Arnold. Corvinus advers. Tilen. pag. 444. hominem sensum verbi Dei non posse non recipere, sententiamq; hanc Arminij esse docet: sensum verbi effici ex internā ejusdem potentia, & tā tā quidem, ut sensum non possit non hominum mente imprimere.

Mentis co-  
gnitio nō  
fit irresisti-  
bili per e-  
videntiam  
verbi obje-  
ctivā im-  
pressionē.

S. 5. Quod ad mentis cognitionem attinet, eam non fieri modo irresistibili sive per evidentiam verbi objectivam, sive per gratiam illuminatricem divinam, facile probatur, si verbi evidentiam respicimus, etiam si modus proponendi sacris literis receptus perspicuus sit; omnibus debito modo Scripturam S. scrutantibus, non tamen ea hic vel somnianda, vel urgenda est objecti evidentia, quam intellectus humanus non possit non percipere, qualis est evidentia in illis *ter tria sunt novem, currit, ergo movetur*, qualibus exemplis hic uti solent Arminiani: Si quidem nulla sit proportio inter objectum in Verbo revelatum, & intellectum nostrum humanum quantum ad fidei mysteria. Unde



de facili refellitur ea hypothesis Arminianorum (1) *Scripturae testimonis*, I. Cor. II. 14. quod animalis homo non intelligat ea, quae sunt Spiritus Dei. Si ea eorum esset evidentia, quam ipsi statuunt, non posset non eadem mens nostra intelligere. Agitur quidem illic loci verbis subsequenter de impotentia ad assensum, sed ita ut negetur simul facultas intelligendi mysteria fidei. 2. Cor. III. 5. non sumus idonei ex nobis ipsis cogitare aliquid &c. Si a proposito solum verbo homo illico id intelligeret, necessum esset, ipsum aliquam habere *ἰκανότητα* ad percipiendum res spirituales. (2) *E precum necessitate*. Si enim ea foret evidentia obiecti in S. literis propositi, vi cuius homo non possit non intelligere verum sensum, quid attineret precibus exorare gratiam Spiritus, ut recte intelligatur Scriptura, quemadmodum precatur Paulus Timotheo; 2. Tim. II. 7. intellige quae dico: Det a. tibi Dominus intelligentiam in omnibus: & ardentissimis votis ac suspiriis auditoribus suis inter alia etiam intellectum, & cognitionem veritatis à Deo exorat. Eph. I. 17. Col. I. 9. c. II. 2. Quae etiam vota ac suspiria fuere Davidis. Psal. XXV. 4. Ps. CXIX. 18. &c. (3) *E requisitis veri intellectus*: Job. VII. 11. Si quis voluerit facere voluntatem eius, qui misit me cognoscet, de doctrina mea, an sit ex Deo! Si verbum Christi irresistibili modo notitiam conciliasset, quid opus fuisset tali propositione, ad cognitionem veritatis. Adde Job. II. 32. si manseritis in sermone meo, cognoscatis veritatem, (4) *Ab exemplis eorum*, quibus etsi verbum satis dilucide predicatum fuerit, qui tamen illuminati non sunt: utpote discipulorum Christi: quos verbis clarissimis de passione, morte ac resurrectione sua informarat, nihil tamen eorum intellexisse dicuntur Luc. XII. 31, 39. quum ex adverso rudis populus sermonem, qui minus evidens erat, de eodem perciperet, Job. XII. 32. seqq. certo documento, quod non irresistibiliter intellectui ingeratur verus sensus ab ipsa obiecti Verbi, qua id proponitur, evidentia. Cuiusmodi exempla plura passim obvia sunt. Quid quod nemo non percepturus esset verum sensum, si talis irresi-



stibilis impressio fieret ab ipsa verborum evidentiâ; quemadmodum nemo non percipit verum sensum, quod *tertria* sunt *novem*, quum tamen plurimi etiam eorum, qui *semper discunt*, nunquam ad veritatis cognitionem perveniant, teste Apostolo. 2. *Timoth. III. 7.* multisque *DEUS* hujus seculi excœcavit τὰ νοῦματα, ut non videant splendorem Evangelij. 2. *Cor. IV. 4.* ut ut perspicua sint Scripturæ testimonia, quibus fidei articuli proponuntur, nullum tamen adeò luculentum est, quod non possit ille τὰ νοῦματα detorquere, & si hemate aliquo plausibili invertere, aut sensum ejus genuinum saltim dubium reddere ac controversum, uti experientia affatim restatur. Accedunt suffragia Veterum Doctorum Concilium Milevitanū can. IV. *Utrumq; est donum Dei & SCIRE, quid facere debeamus, & eligere, ut faciamus.* Conc. Aransic. II. Can. IX. *Divini numinis est, cū rectè cogitamus.* Can XXI. *Nemo habet de suo nisi mendacium, si quis a habet homo veritatem ab illo fonte est, quem debemus scire in hac eremo, ut ab eo quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via.* August. Ep. CV. *Nemo rectè sapit rectè intelligit, nisi acceperit spiritum sapientie & intellectus.* Et ante illum seculo secundo *Irenæus* I. IV. c. XIV. *Edocuit Dominus, quoniam Deum scire nemo possit nisi docente Deo;* eoq; prior *Justinus* Dial. cū Tryph. *Nisi quis magnam gratiam à Deo acceperit ad intelligenda ea, quæ à Prophetis dicta sunt, nihil ipsi proderit, quod videatur sermones eorum recitare, aut facta.* (5) Adde etiam adversariorum hypothesin: quod nempe *omnis gratia, quæ ducit ad conversionem, moraliter solum agat, et si gratiam ipsam convertentem irresistibile faciant.* At gratia intellectum illuminans ad conversionem ducit; eamque intendit. Quod si gratia voluntatem inclinans resistibilis est, utq; resistibilis etiam ea erit, quæ mentem illuminat. Siquidem rationi non minus stultitia sint divina ut nō possit eadem intelligere. 1. *Cor. II. 15.* quàm voluntati adversa, quo minus eadem possit amplecti.

§. 6. Quod



§. 6. Quod ad assensum mentis, eundem à verbo Dei non excitari modo irresistibili, res facilis est. Siquidem iis quæ pro stultitia habet intellectus, naturâ suâ repugnet, non verò assensum præbeat, *I. Cor. II. 14. 2. Cor. X. 4.* unde peculiari opus est divinâ gratiâ, ne utiquam verò sola hic sufficit *objectiva verbi evidentia Matth. XVI. 17. I. Cor. XII. 3.* opus est, ut intellectus aperiat, *Luc. XXIV. 49. Act. XVI. 14.* & tēstantur exempla, quanto pe- rē iis etiam, quæ luculenter proposita simulq; percepta fuere, re- stiterint, nec assensum præbuerunt plurimi, ac etiamnum resi- stant, utpote *Judeorum, Phariseorum, Agrippæ Regis,* qui de om- nibus informatus malebat tamen scepticum agere, quàm as- sensum præbere, *Act. XXVI. 28. &c.* Potest quidem de rebus divi- nis nonnunquam fides aliqua concipi ab iis, qui gratia Spiritus destituuntur, sed ea non nisi *humana, & opinativa* tantum est. Hic a. de fide *divinâ & certâ* quæstio est, ad quam Spiritus S. gratiâ opus est. Rectè *Augustinus* Epist. *CVII* *Si ita præpararet atq; operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantum modo legem suam, atq; doctrinam ejus libero adhiberet arbitrio, neq; vocatione illâ alta, atq; secreta hic ejus ageret sensum, ut homo legi atq; do- ctrina accommodaret assensum, procul dubio eam legere, vel intelli- gere legendo, vel etiam exponere, ac prædicare sufficeret, nec opus es- set orare, ut Deus ad fidem suam infidelium corda converteret.* Ad- de quod Remonstrantes cum Sociniani doceant, in *Confess. c. XI. s. II.* *Eum qui rectè credit, & certò persuasus est Jesum Christum à Deo constitutum esse omnibus & solis ipsi credentibus autorem sa- lutis, Indubitato viam ipsam ingredi &c.* Si ergò intellectus irresistibiliter illuminatur, Voluntas autem iudicium intellectu non potest non sequi, (quod istâ hypothesi innuitur) annon u- niversa conversio fiet modo irresistibili! Quod tamē dicere re- fugiant Arminiani, omnibusq; modis detestantur in Calvinia- nis.



*Scopus ir-*  
*resistibil.*  
*illuminat.*  
*Armin:*

§. 7. Taceo, quod *objectiva* illa *evidentia* S. literarum  
 eo directa sit, si Scopum Arminianorum species, ut omnes pe-  
 nē sectarii recipiantur in gremium Ecclesiae, nec sententiae e-  
 orum condemnentur, siquidem *sibi non evidentia esse dogmata*  
*protestentur, quae ipsi negant, quemadmodum in Defensione A-*  
*pologiae specimine secundo, rationes adducunt, quare non ament*  
*ignorantes, evidentiam dogmatum de Trinitate in dubium vocan-*  
*tes, & negantes; quia p̄tēs non sunt decisa in Scripturis, neq; tam*  
*evidenti collectione ex Scripturis possunt colligi, qualis haec est; Cur-*  
*rit, ergo movetur; & in Vedelio Rhapsodo pag. 113. Caeteras sectas*  
*velle, ajunt, ut qui se ipsis juncturi sunt, secum consentiant: Solos Re-*  
*monstrantes hoc non cupere, nisi in ijs dogmatibus, quae Quisquis*  
*pro evidentibus agnoverit. & pag. 125. Quod ut aliqua solum parte*  
*non agnoscitur evidens, id necessarium esse negant. Vid. de his uberi-*  
*us Dn D. Hülsemannus disp. III. de auxiliis gratiae Quaest. III. qui*  
*non immerito hinc concludit th. XVI. absurdiores esse Remon-*  
*strantes Papistas, qui evidentiam alicujus dogmatis suspendūt*  
*à definitione vel Papae, vel universalis Ecclesiae repraesentativae*  
*in viris doctis: Pejores Enthusiastas, qui evidentiam suspendūt*  
*ab intrinseco sensu revelationis: Pejores Photinianos, qui evi-*  
*dentiam suspendunt à congruentiā cum notionibus primis seu*  
*communibus in v̄is. Hi soli evidentiam & inevidentiam su-*  
*spondunt à solā externā professione cujuscunq; idiotae, & hy-*  
*pocritae. De rationibus evidentiae, quas Papista, Enthusiasta,*  
*Photiniani prætendunt, licet judicare aliis per externa & p̄ticipia*  
*& præsumptiones: de rationibus a. evidentiae, vel inevidentiae*  
*Arminiana non licet aliunde judicare, quam si quicquam di-*  
*cat, hoc sibi esse inevidens.*

*An opera-*  
*zio S. S. in*  
*illumina-*  
*zione men-*  
*zis fiat mo-*  
*do irresi-*  
*stibili?*

§. 8. Quod si porro, admisa vel posita gratiae illuminatri-  
 cis necessitate, disquiratur, an *opemio Spiritus S. in illuminatio-*  
*ne mentis fiat modo irresistibili*, quod itidem affirmant Remon-  
 strantes, ut è verbis §. III. adductis è *declarati act. III. & IV. p. 16.*  
*ostensum, fieri sc. non posse, ut intellectus non assentiatur, aut judi-*  
*cium*



dum suspendat, quin determinari eundem ab obiecto proposito ad as-  
 sentiendam, nec posse ex se illi illuminationi resistere: facile res  
 expeditur. Nusquam Scriptura tradit illuminationem Spi-  
 ritus Sancti talem, quæ irresistibilis sit. Fingiturea ἀτεπ γκα-  
 φῆς. [2] Scriptura pariter & experientia testatur, multos resti-  
 tisse Spiritui S. illuminationem intendenti, ut exemplo *Judeo-  
 rum, Phariseorum, Pseudo Prophetarum*, & eorum omnium, qui-  
 bus Deus hujus seculi mentes excœcat, manifestam est: hos n.  
 S. S. illuminare voluisse non ambigunt Remonstrantes. (3) Si De-  
 us non agit in conversione secundum potentiam suam absolutam,  
 cui resisti nequeat, quod fatentur Remonstrantes, qui ageret  
 in illuminatione secundum absolutam potentiam? (4) Si intelle-  
 ctus modo irresistibili determinatur ad obiecta proposita, o-  
 porteret eum *Demonstratione* quadam *logicâ* convinci, adeoque  
 cogi ad assensum, vel ita evidentè obiectum penetrare, ut nulla  
 superesse possit dubitandi ratio ut non possit, non assensum  
 præbere. At non agit S. nobiscum per *demonstrationes Logicas*,  
 quibus non tantum *quod sit*, sed etiam *propter quod* aliquid sit  
 cognoscimus, sed verbo fidem adhiberi vult, etiam si causam rei  
 non intelligamus, propter nudam dicentes autoritatem. (5) I-  
 deò Orthodoxi Patres ita requirunt ad salutarem intellectum  
 Scripturæ S. illuminationem Spiritus Sancti, ut tamen fatean-  
 tur & agnoscant, hominum malitiâ eandem excludi posse: *Il-  
 luminat omnem hominem*, inquit *Chrysastr*: homil. VII. in Joh:  
**QUANTUM IN IP SO EST**; cum innotuit pateat omnibus, fo-  
 ris manent, & per neminem, nisi per propriam malitiam pereunt.  
 Adde (6) ipsius *Arminij* Confessionem *disp. publ. de autor. Script:*  
*ib. 8.* quod non talia sint postulanda argumenta, quæ nulli non  
 persuadeant, quum ipsi Christo per tot signa, prodigia, virtutes &  
*Spiritus Sancti distributiones doctrinam suam restanti Fides à*  
*multis sit denegata.* Et in *Confess. c. II. s. 4.* requirunt tantum  
*argumenta verisimilia, non a. necessaria & apodictica:* unde ergò  
 illa assentiendi orietur necessitas: ut commodè hic assensus à no-  
 bis



bis eliciatur, duo inquirunt, imprimis necessaria sunt; 1. argumenta talia, quibus verisimiliter nihil opponi possit, cur credibilia non sint. 2. pietas, docilitas, vel animi probitas in eo, à quo fides postulatur. Num in omnibus illam piam docilitatem, animiq; probitatem starent. Eâ destitutis (quemadmodum omnes per naturam eâ destituti, nonnulli etiam ob malitiam contractam maximè indociles sunt) num ingerit gratiam illuminatricem Spiritus Sanctus vi coactivâ? Deniq; quum non agat S.S. nisi per verbû, nî Enthusiasmus quis somniare velit, num verbo Dei talem vim illuminatricem, cui non possit mens humana resistere, tribuent Arminiani? Nihil minus. Negant certè actionem Spiritus S. internam & efficacem sive irresistibilem concurrere ad verbum Evangelij defens. art. IV. p. 128. & vix relinquunt quicquam virtutis verbo, præter efficaciam promissionum comminationum, exhortationum, quibus non nisi moralem ac resistibilem vim tribuunt: quemadmodum supra ostendimus.

An gratia  
Dei agat  
in ipsamet  
voluntatē?

§. IX. Circâ voluntatis immutationem, ac conversionem, quam modo irresistibili fieri meritò negant Arminiani, disquiritur, an gratia Dei agat in ipsam immediatè voluntatem an verò solum in affectus? Rectè adversus Calvinianos disputant, voluntatis determinationem non fieri per gratiam quandam irresistibilem, Cæterùm non ideò neganda gratiæ divinæ operatio in ipsamet immediatè voluntatem: cujus erroris πρῶτον ψεύδεται in eo fitum, quod libertatem ipsi non rectè definiant, sed in æquilibrio ad bonum & malum constituent. Unde quemadmodum in primâ hominis creatione sanctitatem hominis voluntati infusam negant, quod voluntate ad bonum determinatâ liberè obedire nequirent ideò: Arminius in artic. perpendend. Oper. p. 778. libertas arbitrii, ait consistit in eo, quod homo positus omnibus requisitis ad volendum vel nolendum, indifferens tamen sit ad volendum vel nolendum, ad volendum hoc potius, quàm illud. Hec indifferentiâ tollitur per determinationem præviã, qua volū-  
tas



tas circumscribitur, & determinatur precise ad unam, vel alteram partem contradictionis, vel contrarietatis & propterea non consistit illa prædeterminatio cum libertate voluntatis, quæ non potentiam modo liberam, sed usum liberum postulat in ipso exercitio. Et hinc Remonstrantes negant in Apolog. Confess. c. V. l. habitus infusus, aliosq; per quos ad unum determinetur voluntas in eâ locum habere, quippe quæ naturâ suâ libera, ac indifferens sit, ac semper mandat. Distingvunt a. inter potentia fidei, quam irresistibiliter, produci falso cum Calvinistis asserunt, & inter actum fidei, quæ liberæ voluntati vindicant, & ex naturâ libertatis deducunt. defens. Sentent. circa IV. artic. p. 62. Reget fortè quicquam, ex hac nostrâ deductione concludi posse à nobis aliam gratiam in regeneratione hominis non statui, quàm moralem: Sed Respondemus, id neutiquam rectè concludi: Potentiam enim credendi ante omnia confere dicimus per irresistibilem gratiam. At verò deinde postquam homini collata est, vel cum in homine supponitur primum potentia supernaturalis, ad credendum, fatemur aliam à nobis ad actum fidei eliciendum necessariam gratiam non agnosci quàm moralem sive eâ, quæ verbo, tanquam instrumento ad fidem efficiendam utitur; quo ipso non excludimus varias occultas inspirationes, impressiones, commotiones sensuum verbi, quæ tum in intellectu tum in voluntate fieri possint, sed tantum omnes tales esse statuimus, quæ ipsum consensum aliter quàm morali ratione non eliciant & producant. Si enim unica actio actum fidei vi suâ necessitans detur necessum est ut consensus mandato adhibitus consensus esse desinat, & verbi ipsius ministerium prorsus inutile & frustraneum efficiatur ad fidem primitus in homine gignendam. Hinc orta est distinctio Arminiana inter initium conversionis, & complementum, in artic. perpendend. Opere p. 783. Homo se habet in initio conversionis suæ merè passivè, id est, quanquam actiæne vitali, id est, sensu percipiat gratiam vocantem, tamen non potest non illam accipere & sentire, at ubi sentit gratiam mentem & cor afficientem, libere assentitur, ita ut possit non assentiri.



§ 10. Quemadmodum verò citrà *libertatis* detrimen-  
tum homo primus in iustitiâ, & sanctitate verâ creatus fuit,  
*Eph. IV. 24.* ita nihil derogatur libertati voluntatis, si postquam  
ill. iustitia & imago Dei concreata deperdita est, voluntas i-  
pla reformetur ad imaginem Dei, ac Spiritus gratiâ suâ regene-  
rante in ipsammet immediatè voluntatem operari dicatur. Se-  
des certè *renovationis* constituitur ipsa *voluntas Eph. IV. 24.* & o-  
perari disertè Deus dicitur *in nobis το τελειν VELLE* ipsum  
*Phil. II. 13.* voluntas dicitur ἀρεῶν à Spiritu DEI *Gal. V. 18.* Deus  
que agit in nostrâ vivificatione in voluntatem nostram  
*Eph. II. 35.* Nec aliud innuit Scriptura, cum dicit, Deum nobis  
*Cor novum indere, cor renovare, dare alicui in cor bonam volun-*  
*tatem Ez. XXXVI. 26 2 Cor. IIX. 16.* Si quæramus, utrum donum  
Dei sit voluntas bona, mirum, si negare quisquam audeat, ait Au-  
gust. l. i. ad Simplic. q. 2.

§ 11. Nequicquam verò excipiunt Remonstrantes: po-  
tentiam tantum credendi à DEO infundi, sed actum fidei liberè à  
voluntate ipsâ elici: Nam utur libertatem non denegemus vo-  
luntati, qua ipsi naturalis est, libertatem tamen in spiritualibus  
per naturam ipsi ullam convenire post lapsum ἀποτόμως ne-  
gamus: Ideoq; hic non tantum ut possit credere, sed etiam ut  
actu credat, præstat divina gratia. Hoc est, quod S. Augusti-  
nus u. 5 Deus, incipit, est, qui operatur in vobis velle, & operari:  
ubi satis ostendit (Apostolus) ipsam bonam voluntatem in nobis o-  
perante Deo fieri. Et Cap. XXII, Enchir. Totum DEO dandum  
est, qui hominis voluntatem bonam & preparat adjuvandam, &  
a jvat preparatam. & imprimis Epist. c. vii. Ipse ut velimus,  
operatur, incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Ut ergò  
velimus, SINE NOBIS operatur, cum a. volumus & sic volumus,  
ut faciamus, nobiscum cooperatur. Quid quod Arminiani ipsi  
et fateantur defens. art. III p. 20. in ipsam quoque voluntatem  
potentiam supernaturalem infundi distinctam ab illuminatio-  
ne



§. 12. Nullum a. periculum metuendum libertatis volū-  
tatis nostræ: quæ liberè credit, etsi actum credendi operetur  
Spiritus Sanctus: non *necessitando*, & *prædeterminando* volunta-  
tem vel *irresistibilitèr* eam incinando, ut vel credat, vel credere  
possit, sed *gratiâ efficaci convertendo*: cui tamen possit homo re-  
pugnare, ut *dictis*, & *exemplis* Scripturæ aliàs contrà Calvinianos  
demonstratur.

§. 13. Neque libertas *indifferentiam* & *equilibrium* im-  
portat *ad utrumq;* oppositorum vel *ad bonum*, & *ad malum*. Quæ  
hypothesis falsissima est: siquidem *divina*, *Angelica*, & *electorum*  
in alterâ vitâ, ut & *Christi Salvatoris libertas* nullum patiatur  
detrimentum, tamen si determinata sit voluntas Dei, Angelorū  
honorum, electorum, & Christi non nisi ad bonum, nec malè  
agere ullatenus possit, ut taceam, quod *Arminiani* renatos etiâ  
ad eam perfectionem adspirare posse contendunt, ut non possint  
peccare. Num ergò voluntas ipsorum tunc non erit libe-  
ra, quia plenè liberata? An plena liberatio, qualem nos non ni-  
si in alterâ vitâ expectamus, præjudicat verè libertati?

§. XIV. Quomodo hic sese implicent Remonstrantes, a-  
liàs vidimus: Exemplum a. *Angelorum* & imprimis exemplum  
*Christi*, quod hic cap. XVII. Apolog. tractant perplexitatem ip-  
sorum satis edocet. *Angelorum* enim *obedientiam* negât pro-  
priè *dictam obedientiam esse*, sive *obedientiam formaliter*, eamque  
dicunt *tantum obedientiam materialiter*, quanquâ & hic titubêt,  
& quid dicere, aut eligere debeant, nesciant. De *obedentiâ y.*  
*Christi* asserunt f. 187. eam fuisse alterius generis obedientiam  
quam nostra est, in hoc tamen convenire cū nostrâ, quod pror-  
sus fuerit libera: *Obedivisse Christum voluntati Patris sui*, non,  
*ut nos legi divine obedimus, sub comminatione mortis æternæ*, sed  
*ut legatus Regi suo, aut ut Filius dilectus Patri suo obedire dicitur*,  
*quando Rex aut Pater ei provinciam honorariam defert*, ut eam  
exequat, addit a *promissione magnificæ alicujus remunerationis*, si  
eam liberè atq; *in gratiam ejus subire velit*: Qui hac ratione o-  
bedit, id est *provinciam istam ultro in se suscipit*, is sanè propriè &  
liberè obedit, non quod propriè peccaturus esset, si eam non suscipe-

De obedi-  
entia Chri-  
sti Armin.  
sententia.



ret, aut susceptam cum bona Patris gratia iterum deponeret, ne diē  
quod pœnam eternam mereatur si eam non subeat, aut ab ipsis one-  
re suscipiend, aut ferendo se excuset, uti nos cum non obedimus Deo  
& Legi ipsius pœnam mereri certissimum est; Nulla enim talis pœ-  
ne comminatio Christo facta fuit: Sed quod eam potuit non susci-  
pere, aut cum suscepit oneri ejus se subducere atq; ita promisso præ-  
miorum gaudere, aut excidere. Sed eadem hic manet difficultas.  
Nam perinde uti Christus inobediens fieri non poterat, ita cum  
suscepit executionem provinciae æquè oneri ejus se subducere  
non potuit, nec tamen ideo obedivit aut exequutus est eam pro-  
vinciam coactè. Et omninò ipsum legi obedivisse non quidem  
propriæ obligationis causâ, sed pro nobis, diserta est Scripturæ  
litera, ut negari id non possit: Unde illi exceptiunculæ non in-  
sistunt Arminiani, sed ad aliam, at prorsus impiam, se conver-  
tunt, aut more pyrrhónico, ambiguè disputadonihilq; certi de-  
finiendo. Quod si verò, inquiunt, velimus Christū Jesū hanc tantū ræ-  
tione obedivisse, sed eodē insuper modo, quo nos legi divina obstrictū  
fuisse, tum necesse est, ut statuamus fieri potuisse, ut legi divina non ob-  
bediret, & sic, non obediendo peccaret, quod quidem nos non aude-  
mus affirmare. Quanquam, si id omninò affirmarem, nec primi,  
nec soli essemus. Certum enim est complures olim fuisse, hodieq; esse  
inter Scholasticos ipsos, qui id publicè, & sine periculo adsernerunt  
adseruntq;. Ita Scotus l. 3. sent. distinct. 12. q. 1. Durandus  
ibidem qv. 2. Gabr. Biel, ibid. qv. 1. art. 2 & alibi, ut anno-  
tat Gregorius de Valentia, aliq;. Ita Molina, uti videre est 1. part.  
quest. 14. Art. 14. distinct. 18. n. 4. dist. Deinde, dicit autem, quod si-  
cut fuit miraculosè factum, ut voluntas Christi non obstante gaudio  
beatifico, potuerit summè trīstari (quod naturaliter omninò est im-  
possibile) ita divina virtute fuisse factum, ut voluntas ejus per visio-  
nem Dei & amorem beatificum, non fuerit absolutè determinata, &  
necessitata ad obediendum Patri, ut hac ratione posset ei omninò li-  
berè obedire, atq; ita ratione visionis beatificæ non aliter fuisse im-  
peccabilem, quam ratione unionis hypostaticæ. Alij, ut Agidius  
Belanus in lib. de Actibus supernat; negant id fieri posse, sed non e-  
vina

An Chri-  
stus potu-  
erit peccare  
v?



vincunt, ut ipsi fatentur, id omnino implicare contradictionem. Contrariam sententiam tenent plures, adeoq; Scholastici fere omnes, sed qui aliter censent, eos ut hereticos nusquam damnant. Ita scepticè, pro more sibi proprio istòc prophano themate ventilato, ne quid impie. ati desit, fundamentum etiam *impeccabilitatis* Christi in dubium revocant. Quinimò [ita pergunt loco citato] usq; adeò subtilitèr quæstionem ventilant, ut quâ in re fundamentum *impeccabilitatis* ponendum sit, adhuc apud eos in incerto sit. Quod attinet fundamentum sive hypothèsin unionis personalis, quam Censor hic ponit, in eò consentiunt pene, quod ex ea ratio *impeccabilitatis* physica petenda non sit. Unio hypostatica non habet ex se, inquiunt physicam ullam repugnantiam cum peccatis. Nec mirum. Unio enim personalis per se nihil aliud efficit circa naturam Christi humanam, quàm quod ei subsistentiam personæ divinæ det, ita ut natura humana, quæ alioquin personâ completa fuisset, nō subsistat nisi in personâ τῆς λόγῃς. Tantum itaq; abest ut ejus vis factum dici possit, quod Christus non potuerit peccare, ut ne quidem ejus vis factum fuerit, quod actu non peccarit, non magis sanè quàm ejus vis factum fuit, ut non dicimus nihil posset ignorare, sed ut multa non ignoraret, utq; non proficeret Sapientiâ & gratiâ. Hactenus Remonstrantes verum enimverò quî unio hypostatica naturæ divinæ arctissimam & inseparabilem conjunctionem, cum naturâ humanâ, mutuamq; naturarum κοινωνίαν importat, si humana Christi natura peccato obnoxia, ac peccare potuit, cū peccatrice naturâ divinam naturam sanctissimam amictam & in unam hypostasin conjunctam esse dicendum; imò uti propter unionem hypostaticam veræ sunt propositiones personales, *Deus est homo, homo est Deus*, ita veræ etiam esse poterunt, ex istâ hypothèsi, illæ propositiones, *Deus peccat, vel Deus est peccator*; siquidem homo ille, loquendo de Christo, peccare possit. Quod impium! Nequaquam enim admittendum, quod unio hypostatica nihil aliud inferat, quàm solius subsistentiæ divinæ communicationem. Ignorantiæ v. longè alia est ratio; quia  
igno-



ignorantia peccati expers non repugnat naturæ hypostaticè unitæ cum *divinâ naturâ*; at peccatum illi nullatenus convenire potest, nisi Deus ipse peccator dicendus sit.

S. 15. Sed pergunt Remonstrantes: *nec in unctiōe Spiritus suprâ consortes fundamentum sufficiens poni: siquidem unctiō, quâ talis impeccabilitatem non ponat, nec suprâ consortes ungi necessario sit isto modo ungi, ut peccare non possit.* Resp. unctiō illa, quia facta est non ad mensuram *Joh. III. 34* immensa & *ἀξίωμα* divina infert, *divinam virtutem, sanctitatem, & gloriam*: At quomodo divinæ sanctitatis communio cum peccato consistere potest?

S. 16. *Liberam itaq; obedientiam Christi statuere oportet non verò cum Socino coactam, quasi coactus fuerit Christus à Deo Patre, ut obediret, quod meritò hic rejiciunt Arminiani; Sed ita, libera asserenda est obedientia, ut non censeatur, Christum peccare, aut oneri, ac provincie, quam suscepit, subducere sese potuisse.* Hoc enim libertatis natura non infert; imò quò liberior est natura, eò magis immunis est à propensione ad peccandū; quemadmodum *Angelica* natura perfectè libera peccare jã nullatenus potest, nec *electi* in cœlis plenariâ obtentâ liberatione peccare poterunt amplius: *divina* deniq; natura omnium liberissima omniū quoq; sanctissima est & omnimodò *ἀναμάπτητος*. Rectè S. Prosper l. 9. tr. collat. de grat. & liber. arbitrio capit. XII. *Non est periculum liberi arbitrii ex gratia Dei, nec voluntas auferatur, eum in ipsa benè velle generatur.* Nam si ideo non putanda est nostra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbutur, spoliatur libertate filii Dei, qui aguntur spiritu Dei, perdunt vigorem rationalis animi, & omni voluntaria devotionis laude privantur, quibus datur spiritus sapientia & intellectus, consilij & fortitudinis scientia & pietatis, ac timoris Domini.





05 A 600

ULB Halle

3

003 762 068



KD 77


04











COLLEGII ANTIARMINIANI  
DISPUTATIO XIX.

De  
**VOCATIONE**  
**AD FIDEM**

quam  
in nomine S.S. Trinitatis  
PRÆSIDE

*Viro Plurimum Reverendo, Amplissimo Atque Excellentissimo,*  
**DN. ABRAHAM CALOVIO,**

S.S. Theol. Doctore Ejusdemque Professore Publ. longe celeberrimo, Ecclesiæ Wittebergensis Pastore, Consistorii Ecclesiastici Assessore, ut & Circuli Electoralis Superiorintendente Generali, meritissimo, gravissimmo, vigilantissimo,

*Domino, Præceptore ac Patrono submisse semper colendo  
& observando,*

placidæ ventilandam proponit

**M. JOHANNES SIMON,**

Dresdensis,

*ad d. 8. Januarii. A. O. R. M. DC. LV.*



Excudebat Johann. Haken

RESPONDENS